

exprobrare volent, quasi te polluerim: A quia iuste poteris te purgare, quod persuasa à viro tuo, te vxorem eius esse dissimulaueris. Verum hoc sensu magis videretur in iuspicionem pollutionis adduci, quam ab ea purgari Sara.

Ad munus aliqui referunt hoc sensu: Hos 1000. argenteos dono marito tuo, vt sint in velamen oculorum tibi & iis, quæ tecum sunt, hoc est, vt inde tibi ac tuis ancillis, quas tecum habes ornamenta faciei & mundum muliebrem compares: *Et omnia restitudo*, quasi dicat, B & sic omnia recte habebunt: *Hietnit sol alles richtig seyn* / quasi sic iubeat omnē iniuriam & offensionem dehinc esse sepultam. Hanc interpretationem *Græca versio* videtur habere: & *Musculus* sequitur: sed & sic Sara magis reddita fuisset suspecta, quasi corpore turpem quæstum fecisset.

*Alij*: Do Abrahamo, vt emat tibi tuisque ancillis velamen vultus ad operiendum pulcritudinem, ne sit ea cuiquam illecebria & irritamentum libidinis. *Lutherus*: Do fratri tuo: Tibi vero ne quidem obulum do, vt scilicet habeas velamen oculorum, hoc est, certum testimonium tuæ pudicitie, quod te non attigerim. Si enim tibi donarem peculiariter, suspicionem inijcerem aliis violati pudoris. Et sic est redarguta, hoc est, non modo nullo affecta munere à Rege, sed etiam reprehensa, non ex odio, sed ex mera charitate, quia hoc modo Rex consuluit pudori Sara.

*Alij*, vt refert *Lyra*: Quod donauit Abrahamo, id erit tibi velamentum oculorum apud omnes, &c. hoc est, documentum tuæ pudicitie: quoniam hæc munificencia erga virum ostendet, me compulsam fuisse à Deo tanto munere quodammodo meam redimere animam, & reddere te viro tuo, cui te mundam & intactam restitui.

*Onkelos*: Ecce illud est tibi velamen honoris, pro eo, quod miserim tollere te, & viderim te, & omnia, quæ tecum sunt, & super

omnia, quæ dixisti: Hoc videtur simplicissimum (si ad munus referamus) dari Abrahamo id honorarium, quasi in compensationem contumeliæ, quam visa erat pati, dum raperetur.

Ad totum denique actum & euentum illum איהו referetur hoc modo: Quod te sororem huius dixisti, & ego te ducere volui vxorem, Deus vero me corripuit, vt tu manseris impolluta, & ego te nunc marito tuo restituo: esto tibi velamen oculorum, id est, pudore te afficiat apud tuos, & apud alios, ne deinceps simile quid facias.

In tanta diuersitate sententiarum, quæ ex Grammatica tantum nascitur, sequatur quisque, quod volet: ego vel *Caluini* sententiam sequerer, si איהו (vt esse solet) pro masculino: vel *Chaldæi* paraphrastæ, si pro neutro accipiat.

*Altera difficultas* est in posteriore membro איהו כל ונכח. Nam aliqui hæc verba איהו כל ונכח referunt ad præcedentia: vt sit sensus: *Erit tibi velamen oculorum apud omnes, qui tecum sunt, & apud omnes*, nempe extraneos. Sed accentus distinguens *Atnach* sub איהו ostendit non coherere. Pertinent ergo ad sequens ונכח, quod est seu nomen, seu participium (nam Grammatici non conueniunt) à verbo ונכח, quod in Hiphil ונכח est reprehendo, obiurgo. *Vetus Latina*: Et quocunque perrexeris, memento te deprehensam, pro, *reprehensam*: longius recedit à verbis Hebræis. Nam illud *perrexeris* & *memento* plane non est de textu. LXX. καὶ πάντα ἀλιθῶσον איהו איהו recta, vel *rectum*. *Vatablus* & *Pagninus*: *Et in omnibus erudita vel castigata fuit*: Possunt esse verba *Abimelechi*, hoc sensu: *Et in omnibus hisce erudita esto*, quasi dicat, cautius age deinceps hoc casu edocta. Sed melius sunt verba *Mosis* propter interpositam distinctionem, quasi dicat, Et his omnibus tum donis, tum verbis Regis leuiter fuit obiurgata Sara. Ita